

Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis denuo nuper exponi fecit, post decretum supradictum adhuc nonnulli dubitent, an pia loca viae crucis seu Calvarii nuncupata a personis supradictis ad instar stationum montis Calvarii, vigore diversorum privilegiorum eis ab hac sancta sede (ut asseritur) concessorum erecta in communicatione praefata comprehendantur, Nobis propterea idem Franciscus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur ipsum Franciscum amplioris favore gratiae prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc., hujusmodi supplicationibus inclinati de secundo dictorum Cardinalium consilio et attenta relatione, quam dilectus modernus Commissarius generalis curiae dicti ordinis eisdem Cardinalibus super praemissis fecit, etiam praefata loca pia viae crucis seu Calvarii in supradictis Innocentii praedecessoris literis comprehendere et proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in literis hujusmodi concessis et expressis, eorum tamen tenore servato auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus, salva tamen semper in praemissis auctoritate secundo dictae Congregationis Cardinalium.

Decernentes etc.

In contrarium etc.

Volumus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem 5. Decbr. 1696.

(Bull. r. t. IX. p. 446, 447.)

(Anal. J. P. 1864 pag. 941.)

Litterae ad Archiepiscopum Valentinum actu Inquisitorem generalem et Nuntium Hispaniarum circa memoratae constitutionis executionem.

Innocentius Episcopus etc.

Salutem etc.

Sua Nobis dilectus filius F. Franciscus Diaz a sancto Bonaventura s. Congregationum Indictis, Rituum et super disciplina seu reformatione Regularium consultor ac missionariorum diversarum provinciarum ordinis fratrum minorum s. Francisci familiae ultramontanae procurator petitione monstravit, quod alias ad ipsius instantiam a fel. record. Innocent. Papa XI. praedecessore nostro litterae in forma brevis sub die 5. Septembris de anno Domini 1686 emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum et indulgentiarum etiam plenarum usque tunc non revocatarum inter Ecclesias, loca et confraternitates, congregationes, ordines et personas utriusque sexus obedientiae vel directioni Ministri generalis ordinis fratrum minorum s. Francisci subjectas, a pluribus romanis Pontificibus ipsius Innocentii et Nostris etiam praedecessoribus, eisdem per diversa privilegia concessa, a qua communicatione, prout iteratis vicibus a Sede apostolica extitit declaratum, resultare dignoscitur, quod quando decoratum reperitur altare unius loci vel una Ecclesia aut una confraternitas seu quaevis Congregatio Ordove, aliquorum e dictis personis aliqua indulgentia, sive plenaria sive non, applicabili pro animabus purgatorii, ad favorem earumdem tantum personarum vel omnium simul Christifidelium concessa, minime tamen revocata, qui in eo loco, altari vel Ecclesia confraternitatum, in diebus in concessione expressis, perfecterint

quod per eandem concessionem fuerit praescriptum, in omni loco, altari vel Ecclesia confraternitatum, Congregationum, ordinum et personarum praefatarum eadem indulgentia ab omnibus respective acquireretur, qui iisdem diebus easdem ibi emiserint diligentias in concessione taxatas. Verum sicut eadem petitio subungebat praetendentibus nonnullis scrupulosis quod in praefata communicatione generali comprehensa non veniant loca et Ecclesiae terrae sanctae aliarumque partium Orientis existentium extra Jerusalem, ad tollenda de medio quaecumque dubia fuit Nobis pro parte praefati ordinis humiliter supplicatum quatenus non essent exclusae praememorata loca et Ecclesiae terrae sanctae et multo Minorum aliarum partium Orientis a communicatione matura et reciproca, quae includitur in ea generalitate amplissima, sub qua loquantur privilegia et constitutiones pontificiae praefatae ad hoc, ut indulgentiae saepedictae eisdem concessae et usque modo non revocatae obtineri valeant sine ullo dubio non aliis Ecclesiis, altaribus et locis piis ac devotis spectantibus ad personas praememoratas obedientiae vel directioni subjectas, stante, quod sanctae sedis mens fuit semper haec omnia loca reddere aequaliter condecorata et a fidelibus venerata, ob meritum aequale uniforme vel aequivalens, quod jam dictae personae in Dei et sanctae Ecclesiae servitio peragunt de continuo, declarare de benignitate apostolica, dignemur. Nos vero praefatam declarationem commisimus Congregat. dilectorum fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quae sub die 16. mensis Julii currentis anni perpenstis praedictis literis dicti Innocentii XI. praedecess. nostri declaravit praedicta loca et Ecclesias terrae sanctae aliarumque

partium Orientis extra Jerusalem esse comprehensa sive comprehensas in dictis privilegiis, indultis et indulgentiis et deinde sub die 27. ejusdem mensis sententiam praedictae Congregationis approbavimus, ut in decreto dictae Congregationis desuper edito latius continetur. Sed quia adhuc post praedictum decretum dubitabant nonnulli, ea mens dictae Congregationis fuerit stabilire, quod pia loca viae crucis seu Calvarii ad recolendam seu meditandam Christi passionem a praememoratis personis seu ordinibus, ad instar stationum Calvarii montis, juxta diversa etiam privilegia sanctae sedis, erecta comprehensa sint a praefata mutua communicatione, eadem Congregatio sub die 12. mensis Novembris mox elapsi declaravit, etiam praefata pia loca comprehendere in saepedictis literis Innocentii XI. praedecessoris nostri ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in eisdem literis contentis et expressis ac Nos sententiam praememoratae Cong. sub die 15. ejusd. mens. Nov. pariter benigne approbavimus, sicut in decreto praefatae cong. desuper similiter emanato plenius continetur. Cum autem sicut dicta petitio etiam subungebat, idem exponens pro majori praefatorum missionariorum quam caeterarum personarum praememoratarum quiete cupiat, ut litterae praefatae ac declarationes et decreta a memorata Congregatione cum nostra approbatione desuper emanata suum ubique sortiantur effectum non obstante forsitan sinistra interpretatione seu contradictione nonnullorum religiosorum aliorum ordinum mendicantium in illis partibus commorantium adversariorum, quod facere nequit absque speciali nostro rescripto, ideo, ne litterae et declarationes ac decreta hujusmodi suo debito careant effectu, Nobis supplicari fecit exponens praedictus, ut ei in praemissis oppor-

tune providere de simili benignitate apostolica dignemur. Nos igitur statum, merita causae et causarum huiusmodi praesentibus pro expressis habentes ipsum exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque censuris et poenis ecclesiasticis a jure vel ab homine, quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus inclinati discretioni vestrae, attento, sicut dictus exponens asserit, quod agitur in exemplos per apostolica scripta, mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, vocatis dictis adversariis et aliis, qui fuerint evocandi, ad executionem memoratarum literarum ac declarationum necnon decretorum huiusmodi, juxta illorum formam et tenorem prout de jure et dummodo iudicium super praemissis alibi coeptum non sit, auctoritate nostra procedatis procedique mandetis et faciatis. Nos enim vobis et cuilibet vestrum, etiam per edictum publicum constituo de non tuto accessu, quos, quibus, quoties, ubi, quando opus fuerit, citandi illis et quibus videbitur, sub sententiis, censuris et poenis inhibendi contradictores in illas incidisse, servata forma Concil. Trid., declarandi, aggravandi, re-aggravandi et interdicendi auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi necnon alia in praemissis necessaria et opportuna faciendi, exercendi, exequendi plenam et liberam apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno Incarnationis dominicae

1696 17. Cal. Januarii, Pontificatus nostri anno sexto. (Ibid. pag. 943.)

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Quum sicut Nobis nomine dilectorum filiorum Joachim et Philippi germanorum fratrum Bombelli de Urbe expositum est, eorum genitor bo. me. Petrus Bombelli incisor aerarius de spiritali illorum Christifidelium consolatione sollicitus, qui quatuordecim viae crucis stationes in Ecclesiis seu publicis oratoriis rite expositas non habent vel personaliter visitare nequeunt, stationes ipsas in uno libello excutere aereque imprimere curaverit fel. rec. Pius PP. VII. praedecessor noster fideles universos stationes huiusmodi sic impressas pie ac devote recolentes omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus ac poenitentiarum relaxationibus et spiritalibus gratiis, quae ab hac apostolica sede pro stationes huiusmodi publice et rite erectas visitantibus concessae sunt, benigne locupletavit. Quum autem huiusmodi libelli exempla, quae dicto Petro Bombelli vivente fuerant impressa, innumeris defecerint postulatis et in dies ab omnibus orbis partibus avidius exposcantur, praedicti fratres Bombelli, quibus sunt ex paterna haereditate eadem viae crucis in aere incisae stationes, suppliciter a Nobis petierunt, ut eundem libellum modo et forma superius expressis denovo ab eis in posterum typis committendum iisdem ditemur privilegiis et gratiis, quae per Pium praedecessorem nostrum, eorum genitore supplicante, apostolicis suis in simili forma Brevis die 10. Januarii 1804 datis literis concessa sunt. Nos igitur piis eorundem fratrum votis, quantum cum domino possumus, benigne annuere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis

inclinati auctoritate Nobis a Domino tradita ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus stationes viae crucis a memorato Petro incisae et in libello a germanis fratribus Joachim et Philippo Bombelli in posterum typis denovo committendo impressas pie ac devote contemplantibus indulgentias tam plenarias quam partiales aliasque spirituales gratias pro stationes huiusmodi in quacumque Ecclesia aut alio loco publice expositas visitantibus jam alias impertitas, dummodo in reliquis injuncta pro illis consequendis rite expleverint ac dummodo in unoquoque libelli huiusmodi exemplo decretum moderni et pro tempore existentis ministri vel Vicarii generalis ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupati vel Commissarii generalis familiae Cismontanae, aut si exempla praefata ultra montes transmittantur, decretum huiusmodi a Procuratore generali dicti ordinis vel ab officiali Curiae ultramontanae praeposatur firmisque desuper remanentibus ipsius ordinis privilegiis, auctoritate apostolica tenore praesentium communicamus, tribuimus et impertimur. Non obstantibus, quatenus opus sit, cancellariae apostolicae regulis de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub anulo piscatoris die 23. Novbr. 1830. J. Card. Albanus.

(Ibid. pag. 946.)

Vd.: *Via crucis* (Indulg. quomodo ab infirmis etc. p. 781.)

Benedictus PP. XIII.

Fratres ordinis s. Franc. exponunt pium exercitium viae crucis appellatum, quo tota dominicae passionis series pictis

tabulis, ubi commode fieri posset, expressa inque plures stationes distributa, eo modo, quo peregrini civitatis s. Hierusalem loca ipsa, ubi Christus passus est, recolentes et frequentantes invisunt, contemplanda proponeretur, in varias christianorum provincias magno animarum fructu intulisse ac pie recordationis antecessorem nostrum Innocentium Papam XII. huiusmodi exercitium largitione coelestium munerum promovisse per literas apostolicas in forma brevis sub anulo piscatoris incipientes: *Ad ea per quae Romae datas apud s. Mariam Majorem die 14. Decembris anno 1692, Pontificatus 2., ubi inter alia omnibus et singulis fratribus et monialibus atque aliis utriusque sexus personis ordinum et Congregationum, obedientiae seu directioni ministri generalis fratrum minorum de observantia subjectis Christifidelibus confratribus et consorioribus quorumcumque confraternitatum et societatum sive sub titulo Conceptionis Beatae Mariae Virginis immaculatae sive sub alia qualibet invocatione in eorundem fratrum et monialium Ecclesiis canonice erectarum sive erigendarum orationi mentali, quae dicitur viae crucis exercitium, quo ratione suae regulae et constitutionum quotidie tenentur, operam dantibus, pro qualibet vice dierum centum, per duos quadrantes vero continuatos vel saltem per quadrantem horae singulis diebus perque totum mensem orationi et exercitio huiusmodi vacantibus, dummodo vere poenitentes et peccata sua confessi SSimum Eucharistiae Sacramentum sumpsissent proque christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. M. Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fuissent, semel quolibet mense plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium Deo in cari-*

tate conjunctis ex hac vita migrantibus applicare possent, apostolica auctoritate perpetuis futuris temporibus misericorditer concessit.“

„Declaramus, fratres, moniales ac personas superius memoratas exercitium Viae Crucis hujusmodi peragentes privilegiis et indulgentiis frui, quae Romani Pontifices locis sanctis, et illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium praedictum ibidem peragerent, atque ita ab omnibus asseri et censi debere volumus.“

„Insuper ne a participatione honorum spiritualium, quae ab exercitio viae crucis provenire speramus, ullus arceatur de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, indulgentias etiam animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles et privilegia superius expressa etiam per viam communicationis indulgentiarum, quae Locis sanctis intra et extra Hierusalem concessa fuerunt, aut alias quomodolibet, fratribus, monialibus, ac personis jam dictis, quae per Nos approbantur et confirmantur, ad quodcumque christifideles utriusque sexus ministro generali nullo modo subjectos, qui exercitium viae crucis et alia christianae pietatis opera ejusdem modo et forma, quae a fratribus et personis praedictis peraguntur, pie ac devote penes fratres dicti ordinis privative quoad alios quoscumque peragent et implebunt, perpetuo extendimus et ampliamus.

Const. Bened. XIII: *Inter plurima* die 5. Mart. 1726.

(Anal. J. P. 1858, p. 758.)

f) Non in tabula sed in cruce sitae.

Cum ad lucrificandas indulgentias,

quae pro stationum viae crucis visitatione conceduntur, minime requiratur tabularum erectio sed crucium proindeque si ob vestutatis causam ipsae tabulae removentur pro ipsarum stationum contemplatione, ac in earum locum etiam absque pontificia facultate novae tabulae substituuntur, indulgentiarum concessio perseverat, imo etsi cruces ipsae, quae necessario requiruntur, ob eandem rationem, vestutate scilicet labentes, renovari debeant, dummodo de ipsis non sit major pars, nec nova erectione indiget nec indulgentiarum beneficium amittitur.

Die 13. Nov. 1837.

(Anal. J. P. 1858, p. 773.)

Vd.: *Via cruc.* (benedictionis amiss.; renov.)

4) Mutatio.

Vd.: *Via crucis.* (benedictionis amissio.)

5) Renovatio.

Vd.: *Via crucis.* (Indulg. non in tabula etc.; benedictionis amissio.)

Quoad restaurationem alicujus viae crucis notandum est, *benedictionem cadere in cruces superpositas*, quae ex ligno tantum esse debent, *minime vero in tabulas vel imagines*, quae reparari quibusque aliae substitui possunt absque nova benedictione, *dummodo remaneant cruces benedictae saltem quoad majorem partem*. Quando vero nova erectio et benedictio facienda est, tunc tabulae et cruces antea benedictae sine omni caeremonia privatim et alio tempore a quocumque collocari possunt.

S. C. J. 24. Aug. 1842; 20. Aug. 1844; 14. Jun. 1845.

6) Stationum distantia.

Sacra Congregatio Indulg. ss. Reliquiis praeposita declaravit: *Inter stationes viae Crucis non requiri distan-*

tiam aequalem viae crucis Hierosolymitanae nec determinatam. Et facta de praedictis SSmo Dno Nostro relatione S. Sua benigne approbavit. L. Ep. Alban. Card. Picus Praef. Jo. Archiep. Tyri, secret.

Die 3. Dec. 1736.

(Anal. J. P. 1857, p. 1945 et anno 1858, p. 762.)

7) Translatio.

Vd.: *Via crucis.* (bened. amissio.)

VIA FERREA.

(Benedictio.)

Formula approb. a S. R. C.

℞. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit coelum et terram.

℞. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiternae Deus, qui omnia elementa ad tuam gloriam utilitatemque hominum condidisti, dignare quaesumus hanc viam ferream ejusque instrumenta bene † dicere et benigna semper tua providentia tueri et, dum famuli tui velociter properant in via, in lege tua ambulantes et viam mandatorum tuorum currentes ad coelestem patriam feliciter pervenire valeant. Per Christum Dominum nostrum.

℞. Amen

Oremus.

Propitiare Domine Deus supplicationibus nostris et bene † dic currus istos dextera tua sancta; adjuge ad ipsos sanctos Angelos tuos, ut omnes,

qui in eis vehentur, liberent et custodiant semper a periculis universis: et quemadmodum viro Oethiopi super currum suum sedenti et sacra eloquia legenti per Apostolum tuum fidem et gratiam contulisti, ita famulis tuis viam salutis ostende, qui tua gratia adjuti bonisque operibus jugiter intenti post omnes viae et vitae hujus varietates aeterna gaudia consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum.

℞. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat viam et currus aqua benedicta.

(Anal. J. P. 1837, p. 2942.)

VIA PROCESSIONIS.

Vd.: *Processio SS. Corp. Chr.* (via); *Lytan. maj.* (via); *Process. funebr.* (via.)

SS. VIATICUM.

1) Benedictio.

Vd.: *Bened. SS. Sacram. in commun. infirm.*; *Incesatio SSmi* (in pyxide expos.); *De bened. ante port. eccles.* vd.: *SS. Sacram. euch.* (bened. ante portas.)

2) Denominatio.

Viatici nomine apud profanos scriptores intelligitur *cibus et pecunia, quae in viam seu iter peragendum praeparantur*. Unde apud Plautum teste eruditissimo Patre Gobat tom. 1. tract. 4 n. 180. dicitur viaticus is, qui sibi prospexit de rebus necessariis profectio. Viatici enim nomen venit a voce *via* et sumit annominationem a *cibariis*, quae a viatoribus ad iter agendum praeparantur. Hinc a sacris scriptoribus Divina Eucharistia identidem nuncupetur Viaticum. S. Thomas 3. p. g. 73. art. 4.: In corpore, ibi: „In quantum scilicet hoc Sacramentum est praefigurativum frui-